



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 78. Formulæ pro revocanda Synodi dissolutione Eugenio præscriptæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV.
A. C. 1433.

§. LXXVIII.

Formulæ pro revocanda Synodi dissolutione Eugenio præscriptæ.

Id. ib. p. 524. Omnes tamen istæ formulæ vix non in idem collimant; constanter enim urgetur Papa, ut quicquid per eum, vel suo nomine in præjudicium seu derogationem sacri Basileensis Concilii vel contra ejus auctoritatem factum, & attentatum fuisset, revocaret, atque nullum declararet, præcipue autem irritaret tres illas literas, quarum supra mentionem fecimus. Trinis his formulis Patres subjunxerunt aliam, quam *adhærens formam vocant*; vi hujus Papa se Synodo a tempore inchoationis suæ adhærere, & illius dissolutionem nullam esse profiteretur, simulque omnia, quæ in præjudicium membrorum Concilii, specialiter in Cardinales de Cypro, S. Sixti, & Firmanum decrevisset, rescinderet, eosque omnibus pristinis suis juribus restitueret. Utrum autem legitima fuerit, atque canonica citatio, Papa ipsius Concilii iudicio stare teneatur, quem adhortantur, ut puram ac rectam Concilii nil nisi utilitatem Ecclesiæ respicientis mentem veramque ejus in illum charitatem agnosceret.

§. LXXIX.